EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

DIOECESIS

MONREGALENSIS



ROMAE

TYPIS PHILIPPI CAIRO

MDCCCLVIIII

F. BENEDICTUS DE ACQUISTO

UNIVERSAE REI LITTERARIAE SICILIENSIS PRAESES

SACR. THEOL. LECT. EMER. PHILOS. ET J. U. DOCTOR

ET IN R. STUD. UNIVERSITATE PANORMITANA ETHICES JURISQUE NATURALIS PROFESSOR

JAM FRANCISCANAE REFORMATORUM FAMILIAE

IN PANORM. PROVINCIA PRAEPOSITUS,

NUNC DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS MONTISREGALIS

VENERABILIBUS ET AMPLISSIMIS FRATRIBUS AC FILIIS, CANONICIS, PAROCHIS, SACERDOTIBUS, RELIGIOSIS ORDINIBUS, PRIMORIBUS, ET POPULO UNIVERSO

SALUTEM, ET BENEDICTIONEM

Ad Monregalensem Pontificatum evectus, certumque de mea Consecratione nuncium ad vos mittens, Fratres Filiique dilectissimi, eadem universos monendos absens equidem existimo, quae singulos mihi gratulantes nuper Panormi alloquebar. Enimvero quae coram, sic sponte, et quasi ex tempore, tanta rerum mole perculsus, tunc dixi, animo meo reputans, mihi persuasum habeo, nulla iis opportuniora esse verba, nulla utiliora, aut magis digna, quibus in re tam solemni uti queam.

In primis vero vobis universis et singulis, Fratres ac Filii dilectissimi, gratias ago pro tanta benevolentia et effusissima laetitia, qua privatim ac publice gestiebatis, quod

egomet Montisregalis Archiepiscopus creatus fuerim. Quae laetitia tanta fuit, ut non modo Monteregali, verum etiam e singulis nostrae Dioecesis civitatibus et oppidulis Panormum, ubi tunc degebam, acervatim quotidie confluxerit innumera omnium ordinum et confertissima multitudo, quae mihi incredibili frequentia gratulabatur. Locus advenientibus, mihi tempus deerat.

At nisi me fallit opinio, si tantae laetitiae causas exquirere et enucleare fas est, equidem puto, non mihi sed vestro civi tot gratulationes convenisse. Fatale enim, ut ita dicam, videbatur, nullum civem Monregalensem a saeculo XII, ab gentis nostrae cunabulis ad haec usque tempora, nec Montisregalis, neque alienae Dioecesis Episcopum inauguratum fuisse. Floruit re quidem vera, semper floruit, magnificentissime floruit moribus et omnigena doctrina Clerus Monregalensis, semperque suis scriptis maximam de se opinionem excitavit; tamen nec unquam, nec usquam fuit civis Monregalensis, qui pastorali *officio isthic*, vel alibi dignaretur.

Sed proh miserum! Si PIO IX Pontifici Maximo, si FERDINANDO II, utriusque Siciliae Regi providentissimo, cordi fuit ad Montisregalis Archiepiscopatum evehere civem Monregalensem, at maluissent seligere Virum, qui sanctissimis eorum consiliis respondere possit, ac maximopere idoneus esset ad obeunda Christiani Pastoris munia, aptior rebus, temporibus, et loco! Nunc vero qualem Virum elegerunt? Virum, qui a teneris Franciscanae Reformatorum familiae nomen dedit, ac instituto suo, licet Panormitanae eorumdem Provinciae praefuerit, humilem semper vitam traduxit: humilis cellulae incolam, qui ab urbium strepitu, secularium negotiorum turbis, luxuque abhorruit: hominem novum, quem tantummodo juvenes magistrum, pauci scien-

tiarum amatorem noverunt. Neque FERDINANDO II satis visum est, me Archiepiscopum Montisregalis designare; sed et universae rei literariae siciliensi moderatorem praefecit; honoribusque me cumulans, graviore periculorum pondere obruit hominem vix privatae vitae, sibique uni idoneum. Tanto ac tam formidoloso rerum aspectu trepidabam, ubi primum praeter omnium opinionem, et contra mea vota adeo illaetabile nuncium accepi. Haec omnia magis in horas extorquebant, et adhuc extorquent meditantem, quales quantique viri praefuerint Ecclesiae Monregalensi. Viri enim consultissimi, ingenio et litteris praestantes, factis et civili sapientia praestantiores, pietate rerumque humanarum experientia Religioni et publicae rei perutiles plerumque fuerunt Pontifices Monregalenses. Tales accepimus Ludovicum De Torres S. R. E. Cardinalem, qui Clericorum Seminarium aedificavit, duasque Bibliothecas, alteram Romae, Monteregali alteram excitavit: Hieronymum De Venero et Leyba, qui insigne Canonicorum Collegium, et Augustinianae familiae Coenobium posuit, callesque suburbanos, antea invios, primus adornavit: Franciscum Testam, qui litteras restituit, Micelium et Spedalerium, compluresque alios fovit, scientiarum lumina; novamque simul viam, immani cuniculis fracta rupe, stravit, fontibusque condecoravit pulcherrimis *ad proximae principis Urbis magnificentiam adumbrandam:* Dominicum Benedictum Balsamum, qui nostris temporibus Ptochotrophium posuit ac ditavit, adeoque omnibus et Praesulis et optimi Viri virtutibus effulsit, ut totius Siciliae nobilissimum videretur decus et ornamentum. Hisce et aliis hujusmodi Pontificibus, qui Ecclesiam Monregalensem illustraverunt, me conferre audeam? usque adeo conari possim, ut eos, haud aemulari, sed imitari queam?

Ita res sese habet, Fratres et Filii dilectissimi! Mihi nihil

inamabilius, nihil laboriosius, nihil gravius accidere poterat. Quapropter demisso fractoque animo diu fui; curisque et amaritie fatigatum invenistis quotquot ac quoties gratulabundi, aut visendi studiosi meam cellulam subiistis. Hac urgebant supremi Pastoris et Regis amplissimi jussa; illac ab officio ineundo deterrebant tanti muneris altitudo, tempora periculosa longeque difficillima, ipsique mei animi tanto impares oneri; deterrebant Decessorum virtutes et facta, Ecclesiae Monregalensis dignitas, et augustissimi Guglielmi II fundatoris recordatio, quae minacis instar umbrae ubique mihi adesse, meque praecipitanter agitare videbatur. Sed me adeo aegrum et jacentem paullatim solabantur, et erigebant non tam omnium ordinum et Montisregalis et singulorum oppidorum frequentia, consensus, et laetitiae, quam totius Cleri cohortationes et incitamenta, ne mihi deessem: ne Dei sapientissimi numini, ejusque Vicarii jussis obsisterem: ne adversari auderem FERDINANDO II, qui Monregalense Templum, insigne Northmannicae magnificentiae artiumque monumentum, incendio pene absumptum, splendidius reficiundum curaverat, ac Dioecesi Monregalensem Virum praeposuerat: ne denique civium spem et expectationem frustrarer. Ajebant autem, Ecclesiasticam disciplinam, politiores litteras, studia Theologica, et Philosophica, antiqua Montisregalis ornamenta, foveri augerique debere: haec omnia non ab homine peregrino, et otii vanaeque ostentationis studioso, penitusque enervi et effoeto obtineri posse, sed a cive, quem nulla Dioecesis pars, nulla latibula fugiant: sed a scientiarum cultore, quem certatim nostrates, externique doctorum virorum coetus honoribus decorarent: sed ab homine novo, qui humanae dignitatis conscius, aliquid e suo in publicam utilitatem conferre posset, idque haud parvi duceret: qui rebus patriis assuetus, populi infortunia,

non alienis adulterata verbis, at suis oculis inspiceret, malorumque causas probe nosse, eisque mederi auderet. Haec omnia a viris bonis et consultissimis dicebantur. Attamen me ad haec ipsa, quae necessaria putabantur, praestanda imparem sentiebam; at invitum adhuc et reluctantem roboraverunt, measque fluctuationes tandem mulcebant sacrorum Librorum sententiae, ex quibus patet, ab uno Deo sapientissimo, qui ministrum eligit, suffici vires ad ministerium.

Igitur Deo secundo, duce beatissima Virgine, templi Monregalensis auspice, auspicibus Seraphico Francisco Ordinis mei auctore, et divo Benedicto antiqui Monregalensis Coenobii patrono, cujus nomen vel mihi obtigit, equidem veni Romam, Urbem terrarum principem; dictoque audiens PIO IX, Montisregalis Archiepiscopus inauguratus fui.

Sed neminem vestrum, Fratres Filiique dilectissimi, fugiat, immo vestris mentibus fixum immotumque maneat, Episcopum et quemque virum, qui in sacrum Ministerium sit vocatus, non sibi nec alicui homini vivere, at Deo ejusque populo deberi. Verum nullo pacto Ecclesiae Dei perutilis evadere potest', qui moribus et frugi vivendi ratione non excellat: qui litterarum ac scientiarum studiis intellectum et cor suum non formaverit: qui officium suum probe non impleverit: qui apostolicos labores et se totum non dicaverit populo, quem Dominus nobis tradidit.

Studiorum morumque disciplinis longe lateque semper innotuit Monregalense Cler. Seminarium. Immo quicumque rei litterariae siciliensis historiam narraverunt, id scriptis testari non dubitaverunt, quod nos novimus et videmus, nempe quamplurimos hujus Seminarii tirones in alia Archigymnasia adhuc juvenes arcessitos, et in professores cooptatos fuisse. Id praecipue ab aevo Francisci Testae, Decessoris mei, contigisse perspectum habemus. Etenim ille idem vir tam

bene meritus de universo Jure siculo, qui primum Panormitanam, dein Syracusanam Ecclesiam insigniit, ille idem tanto animi ardore Ecclesiae Monregalensi se addixit, ut et Seminarii totiusque Dioecesis restitutor fuerit, et nobilissima reliquerit sapientiae monumenta. Quantus ille vir extitit! quanta suscepit, ac perfecit! illi debemus Vincentium Micelium, et Spedalerium, illi Josephum Zerbum, et Xaverium Guardi debemus! Omitto Franciscum Nascè, aliosque egregios viros ex hac palaestra profectos, primosque Brontensis Collegii Rectores et Magistros, eo instar litterariae coloniae accitos a venerabili viro Ignatio Capitio, ejusdem Ephebei fundatore; omitto Josephum Saittam, qui incredibili et ingenii, universarumque litterarum excellentia pene singulas omnium dotes prae se ferebat; omitto caeteros hujusce Seminarii jam alumnos, qui operibus nomen suum posterorum memoriae tradiderunt. Igitur istud ipsum Cler. Seminarium, ex quo tantum sapientiae lumen in Dioecesim, fermeque in totam Siciliam defluxit, istam Ecclesiasticae institutionis officinam qui negligere poterimus? Quin ex animo in id incumbendum est, ut in pristina restituatur, novisque adornetur studiorum adjumentis, itaque civium culturae, sacerdotum disciplinae, totiusque saltem Dioecesis commodo prospiciatur.

Idcirco Seminarium Clericorum prae caeteris curabo, et in deliciis habebo; neque ad sacra ministeria provehentur, nisi qui litteris sacris et profanis apprime sint imbuti. Clericos extra Seminarium degentes circumvagare non sinam, sed ut certam institutionem habeant, prospiciam. Sacerdotes otio et socordia frangi non patiar; omnibus vero et singulis in memoriam revoco illa Apostoli monita « nolite negligere gratiam, quae data est vobis cum impositione manuum presbyterii » ut nemini detis ullam offensionem, ne vituperaretur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibete vos

sicut Dei ministros in multa patientia, in laboribus, in vigiliis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes» qui autem monita haec moniti contempserint, severis poenis jure afficientur. Dignos autem sacerdotes ex suis quemque meritis aestimabo; nec gratiae penes me, neque commendationi locus erit. Dioecesim iterum, iterumque lustrabo; sed non tam res, quam personas Ecclesiasticas vigilantissimus invisam, probe ratus, refectis ministeriis, caetera paullatim refici; quae frustra reficientur, rursumque pessum ibunt, nisi integris credantur ministris. Sacrarum Virginum conventus, alia Gynaecea, Ptochotrophium Monregalense, Nosocomia, publica christianae pietatis monumenta, omni studio et pro viribus enitar ut prosperentur, et cuique honor perstet suus. Pauperes, rudes homines, plebeculam, aditum ad me petentes, eodem amore, quo alios, excipiam. Quoniam vero et mihi a Rege clementissimo curanda demandatur universa res litteraria, praecipua sollicitudine tuebor ea gymnasia, ubi nostrae Dioecesis juventus in maximam patriae spem, litterarumque gloriam erit potissime fingenda.

Hae mihi curae et sollicitudines, hae mihi propositae sunt rationes in procuranda Dioecesi Monregalensi. Sed facile animadverto, res tantas ab uno homine nec perfici, neque suscipi omnino posse. Idcirco operum magnitudinem, mearumque virium tenuitatem perpendens, vos precor et obtestor, quotquot estis sacrorum ministri, utriusque Cleri sacerdotes, ut ea repetentes animis mandata et officia, quae vobis ad sacros ordines inauguratis concredita sunt, mihi in tantis rebus gerendis praesto sitis, auxilio subeatis, mecumque allaboretis.

Vos primum peramanter alloquor, Cassinates, qui licet

S. Benedicti regulam complexi, Capituli tamen locum geritis in Metropolitana Ecclesia Monregalensi. Vos apprime nostis, quot quantaeque dotes deceant geminam, quam praefertis, tesseram in Coenobio, et coram populo et Clero universo; apprime nostis, qua morum castimonia, vitaeque sobrietate, quo doctrinarum lumine, quibus virtutum ornamentis inter alios sacerdotes excellere debeatis ut revera excellitis. Mihi autem persuasum est, vos pietate, prudentia, et doctrina ita praestare, ut mihi in Dioecesi moderanda consilio et opera adesse possitis. Tales equidem vos duco, tales experiri cupio, tales ominor futuros.

Vobis autem quid dicam, eximii animarum rectores, qui in officiis vestris obeundis vere Antistitis videmini, et estis administri? Equidem mihi gratulor, et gaudeo, noscens vigilias et labores a vobis exantlatos, noscens quam solliciti sitis, noscens haud raro a vobis portari pondus diei et aestus. Monregalenses meritis elogiis commendant egregios Parochos, quorum nonnulli sanctimonia et apostolicis laboribus, alii non minus laboribus et sanctimonia, quam lectissima doctrinarum vi maximam populi existimationem sibi conciliaverunt. Jure etiam in caeteris nostrae ditionis civitatibus memorantur aliquot Parochi, quorum nomina et decus non deficient. Admiror populum, qui adhuc veterum Pastorum beneficia gratis animis recolit; tamen nemo inficias ibit, eos, qui hac nostra aetate florent, Parochos et doctrina et moribus et in plebem benevolentia plurimi ducendos, nec minus de Ecclesia bene mereri, nec ullo pacto degeneres esse earum virtutum, quibus veteres informabantur. Pergite igitur, o antiquae virtutis aemulatores, meique administri in excolendis arbusculis, quas Christus imbre suo foecundabit. Quandoquidem vero adhuc veteris simplicitatis vestigia sequitur in plerisque nostrae Dioecesis civitatibus populus frugi, avi-

torumque exemplorum adeo memor, neque inficitur iis, quibus aliae civitates foedantur, vesanis doctrinis, equidem nec vos longiore moror sermone. Unum tantum vos moneo, ut pergatis recto itinere, quo hactenus gregem duxistis.

Item vos hortor, sacerdotes universi, ut memores gratiae, qua vocati fuistis in templum Dei, ministeria exerceatis ea religione et reverentia, quae sanctos decet, eaque praebeatis doctrinae, gravitatis, et castimoniae exempla, quae populus Christianus a Christianis sacerdotibus exposcit. Perpendite sublimem sacerdotii vestri dignitatem: mementote quid Deo vocanti vovistis, quid Ecclesiae et populis debeatis, abstinete ergo vos ab omni specie mala, ut sancti sitis, et digni dispensatores mysteriorum Dei.

Vos pariter moneo, nec semel hortor, sacerdotes, qui in tribus oppidis latini et graeci ritus studiosis, populum pascitis, Christo a nobis habitu diverso, sed una eademque via foenerandum; vos iterum, atque iterum admoneo, ne populum a charitate Dei, animorum conjunctione, mutuaque indulgentia abducatis. Expertus enim didici et ad amussim intellexi, omnes discordias, quae tria oppida haud raro perturbant, non populo, sed tantum aliquibus vitio ducendas esse. Hi populum excitant; hi vanas praetendunt causas, et quae sibi mente, insanientes fingunt, populo suadent; et caecos facile impellunt, et quo fert paucorum libido, praecipites agunt. Utinam pax Dei, quae omnem sensum superat, vestras linguas corrigat et concordiam foveat! Utinam Christi dulcedine imbuantur animi vestri, ut populum regatis ea prudentia et simplicitate, de quibus ab unoquoque animarum moderatore, ab unoquoque sacerdote rationem expetet durissimo Deus judicio.

Qua vero animi effusione vos alloquar, sacrae Virgines, quae universis relictis, Agnum immaculatum sequimini,

et vigilem amoris lucernam praefertis, sponsum expectantes, et coelestes nuptias inhiantes? Vos vere beatas dixerim, quae in sede tutissima securum agitis aevum, miserantes pioque gemitu deflentes hominum, quos sponte et ineluctabili constantia deseruistis, insanias, quibus impediuntur! Vobis adhuc mortales exuvias indutis, et Angelorum more degentibus illabuntur arcana gaudia; vos suavissima praecipitis virtutum praemia, quibus tam facile fruimini, peregrinantes in terris, veram patriam, novam Hierusalem, anhelantes! Vos eisdem vestris vestigiis insistere haud pigeat, generosae Virgines, initi certaminis palma, hoste penitus profligato, jucundissime potiri, Christique aeternis triumphis consociari!

Eadem benevolentia in vos afficior, qui religiosis Ordinibus adlecti, paupertatis, castimoniae laborumque exemplis praecellere studetis. Excitationum durissimae militiae, cui nomen edidistis, ne vos unquam poeniteat. Familiae vestrae decus adaugete; cives, quicum versamini, modestia animorumque suavitate ad severiorem disciplinam allicite; ferte et vos, strenuissimi commilitones, ferte curarum, onerumque partem, quae mihi meisque administris imposuit JESUS CHRISTUS ad juvandum reficiundumque populum, quem sanguine suo pretiosissimo redemit.

Vos denique peramanter complector, civium Primores, vos etiam precor et obsecro, ut in antiqua divina religione perstantes, populo universo et plebi praeluceatis et praesidio sitis. Genere, divitiis, cultura praestatis; sed et justitia, sobrietate, in Deum et in publicam rem charitate, morumque candore, et humanitate praestetis, opus est. A vobis discat populus haud superbiae et nugarum intemperantiam, sed omnigena virtutum studia, religionis honorem, frugi vitae prudentiam, filiorum institutionem, in leges reverentiam, eaque omnia,

quibus vita et familiae prosperari, honestari, et adornari queant. Civium Primores virtute, et pulchris operibus populum anteeant.

Vos simul oro universos et singulos, Fratres Filiique dilectissimi, quibusque ordinibus adscripti, vos obtestor, ut pro benevolentia, animique ardore, quo Monregalensi Ecclesiae me devoveo, Deum Deique VIRGINEM MATREM SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAM comprecemini pro PIO IX Pontifice Maximo qui Christianae reipublicae adeo impiger, sollers, et sapiens praeest, ejusque jura sarta tecta servanda diligentissime curat. Deum itidem, lectissimam Virginem, Coelitesque universos, utriusque Siciliae patronos et auspices comprecamini pro FERDINANDO II, et augustissima ejus Uxore MARIA THERESIA, Serenissimo Principe Regii throni haerede augustaque Familia, ut religioni, quae praecipuum regibus et regnis sufficit praesidium et decus, de more innitantur, eique augendae et condecorandae impensissime allaborent; et exploratum habeant, omne imperium, quod reges a Deo mutantur, in religionis et populorum prosperitatem penitus esse conferendum. Comprecamini pro consultissimo S. R. E. Cardinalium Collegio et precipue pro Eminentissimo Cardinali ANTONIO MARIA CAGIANO DE AZEVEDO Episcopo Tusculano, S. Congregationis Concilii praefecto egregiis virtutibus ornato, a quo in aede sacra D. Petro in Monte Aureo Episcopalem dignitatem accepi, ut ea, qua maximopere eminet, prudentia et fortitudine omnia peragat ac absolvat difficillima Ecclesiae negotia, et quo duriora instarint tempora, eo potentiora capiat consilia, et Episcopis caeterisque Pastoribus splendidiorem praebeat agendorum rationem.

Deum praefatus, haec scribebam ipso meae Consecrationis die. Exhinc vestris commodis addictus, vestramque

sane felicitatem meditatus, vobis tantum, Fratres Filiique dilectissimi, vivam. Et quoniam Pastoris praesentia erigit oves, custodes impellit, canes excitat, et lupos fugat, quam citissime reditum parabo. Fratribus frater, filiis pater interero, et advigilabo. Interea pastoralem benedictionem, omniaque pastoralis benevolentiae, paternique amoris argumenta, quae vobis largior, accipite, et valete.

Datum Romae extra Portam Coelimontanam, ipso Consecrationis Nostrae die, IV. Non. Jan. An. MDCCCLVIIII